

PLENE COGNITO VENE-
ni loco, ejus quoq³, natura queri posset,
cur in carne, & quomodo adsit virtus
alexiteria ad expellendum unum-
quodq³ venenum ab humano
corpore.

CAP. VII.

SECUNDUM diver-
sas Viperæ partes,
non secundum se
totum venenum
attrahere, ob simi-
litudinem quam
habent cum capi-
te, & felle, in his enim tantum parti-
bus venenum, & veneni reliquias re-
sidere, certissimum est. Quod etiam
probatum hac ratione: Fel Viperæ i-
ctui serpentum omnium impositum,
aut illitum, ut omnes medici, & atte-
stantur, & jubent, venenum antea per
corpus vagans, ad se retrahit, & vi ra-
pit, ac extra educit, Id autem efficit,
B 6 quia

quia simile est, nec ullo alio modo
 efficere potest, aut attraheret, Sed
 quod à Vipera ictu eicitur, & ejacu-
 latur venenum actu est; necesse igitur
 etiam fel quod extra illinitur vene-
 num esse ex animantibus, & herbis
 venenosis attractum, & collectum
 facultate naturali vesicæ felleæ. Pa-
 tet igitur attractionem à sola fieri na-
 tura ob similitudinem, id quod etiam
 caput ipsius Viperae, cum venenum
 possideat attritum & superpositum
 ictibus idem præstare poterit miri-
 ficè, ut fertur. Quæ verò veneno ex
 adverso opposita sunt Alexiteria, si-
 vè amuleta vocare liberet, quæ vene-
 num expellunt, sive evacuant, aut e-
 vincunt, sive aliquo modo oppug-
 nant, duplici facultate prædita sunt,
 tanquam media inter corpus, & ve-
 nenum; cui prorsus veneno venenum
 esse, compertum est, & ipsum aliquo
 pacto extinguunt, nam caro Viperae,
 allium, juniperi fructus, ficus, cari-
 cæ, nuces, cepæ, raphanus, fructus
 lini-

smilacis asperæ, & ligni sancti, caro, & semen citri, & alia cibaria contraria veneno sunt, & expellunt, evacu-
ant, & ejiciunt, & alia hujusmodi, quæ
venena expellunt, ac perdomant me-
dicamenta, ut terra Lemnia vera, bo-
lus Italicus verus, vari coloris coral-
lus, cornu cervi ustum, damæ cornu
ustum, lapis bezaar, verus, alicornus,
alcibiadium, echium, scordium, dip-
tamus albus, carlina, centaurea mi-
nor, utraq; Aristolochia, multa que
alia Alexiteria, Viperis & aliis vene-
nosis serpentibus eliquata aqua, qua-
vis stillaticia porrecta, ut à Paulo
Querno pluries Romæ in sua officina
medica experta fuere, ex his miri-
ficè injectis brevi & non levi crucia-
tu enecabantur; quod etiam ex hoc
verum esse manifestè apparet, quod
hæc eadem anguibus Carbonis, & a-
quæ aspidibus majori copia exhibi-
ta, quoniam veneno carent, & in no-
xia sunt, propterea, contrarietatem
cum veneno habeant alexiteria tan-

tum, minime officere nequiverunt. Quædam igitur ex his tutò, & semper assumi poterunt, ut cibi venenis contrarii, quales supra, sive venenum assumptum, aut afflatum, aut ejaculatum fuerit semper auxilium ferent. Medicamenta verò quæ supra narrata fuerunt (ut quidam ajunt) homini propinata, quando in corpus ullo modo venenum insit, eò magis si frequentius his utamur, non parum obfutura convincere enituntur, nec tutò assumi volunt. Hæc igitur quæ veneno contraria prorsus sunt, de quibus & alibi dicemus, sive naturæ proprietate, seu veneni contrarietate, sive qualitate occulta, & innominata, seu forma specifica, seu Cæli influxu tacitò id præstent, incertum: tamen planum est, ita evenire perpetuo, ut contra venenorum rabiem operam à natura non denegatam sentiamus. Illud tamen in natura multis mirum videretur quod minus esse debet: Quod attractio fiat à simili, illius rei, quæ.

quæ in forma, vel in materia, vel simul junctis erit. In felle, ut ad illud exemplum redeam, quod illitum fuit, non in forma veneni; quoniam pristina jam penè refracta, & extincta erat; In materia esse non potest, quoniam actio omnis provenit à forma: Sed quoniam non est in totum denudata etiam in mortuo animante à forma veteri venenata; propterea calore nativo adjuvante expulsionem, & insita membrorum virtute expultrice, venenum extra trudi & evinci. Verum hæc Alexiteria si ictui imponantur sola, ut caro viperina, & alia hujusmodi, tantùm abest, ut venenum extra trahant, aut educant, verùm ut facilius intus propellant ob contrarietatem, in his multi decipiuntur. Jam igitur colligere oportet in ictibus ferarum venena apposita perpetuò tanquam similia ex trahere, ac vi quadam rapere extra quòd perpetuo verum est, si à principio utamur capite & felle viperæ, scorpione, phalan-

langio, & hujusmodi, ea præcipuè parte, in qua venenum inest, Antidota verò, scù amuleta intus tantùm assumenda sunt, quoniam non solum venenum evacuunt & propellunt aut evincunt, verum cor roborant, & vires reddunt validiores; sed cum aqua vitæ, aut vino, aut decocto congruo exhibita à principio porrigantur; Extra verò imponi frustra; quoniam si à calore nativo non actüenter nullam vim possident. De Theriaca vero cum variæ sint sententiæ, in libello de confectione, & viribus ejus differuimus, nec est præsentis loci de ea pertractare. Hæc igitur omnia media sunt inter venenum & hominem, ac si inter similia, & dissimilia medium extremis constituitur & contrariis, utpotè venena & amuleta, corpus humanum, partim simile antidoto, quoniam plerunq̃ue nutrimentum, ut vidimus, partim veneno inimicum, quoniam illud venenum homini perniciosissimum. Inter corpus, & venenum

num contrarietas est quam maxima. Inter corpus, & alexiteria non solum ulla ferè adest contrarietas, verùm maxima similitudo, etsi quandoque medicinæ sint, ut testatur Galenus, dissimiles nostro corpori, Quæ dissimilitudo, non statim contraria, neque absoluta similitudo, quæ actui, vel formæ tribuitur, sed est affinitas substantiæ qua patitur; aptum est, ut agentis actionem non suscipiat. Concludendum igitur corpus humanum esse medium inter venenum, & Alexiterium, non situ aut loco distare, sed secundum formam, qua corpus, sicuti veneno opponitur & ab eo destruitur, ita alexiterio simile est, ut cum eadem potestate sit, in actum deducatur à calore nativo, & sicuti opposito veneno opprimimur, ita salutaris amuleto sublevamur cum destructione contrarii. Venenum igitur sive admotum, vel impulsum, vel assumptum in humanum corpus, ut vinum habet ipsum conficiendi, ita anti-

antidotum assumptum vires habet evacuandi, evincendi, & expellendi extra, vires & calorem nativum, & corpus ipsum refocillandi, & adversus deleterium venenum tuendi, si debito tempore, & quamprimum exhibeatur, admixtum cum aliqua re, quæ citò per corpus penetret, & subito cor patet, & tanquam arcem tueatur à veneno, ne ejus temperiem, & corporis compositionem, aut conformationem destruat, venena omnia quæ sint, vel ab aëre corrupto, vel ab animalibus, vel plantis vel mineralibus, de quibus agimus, vel ab artificio destillatorio, de quo à nobis non habetur sermo, sed de aliis; quoniam major est virtus qua juvat, quam offensio qua periclitari possumus, à qua plerumque sublevamur: propterea posita synopsis venenorum universalis, curativa methodus particularium venenorum traditur. Venenum igitur quod ex adverso stat humano corpori contrarium, ipsumque præ-

fer-

sentanea vi interimit, aliud est manifesta, & occulta qualitate noxium, ut euphorbium, urendo, inflammando, præstat ex calore, aut frigore, stupefaciendo, uti opium. Aliud est quod non manifesta qualitate, sed ob dissidium totius naturæ, quo toto genere dissidet, non quantitate, officit, sicut alia duo, sed corrodendo, putrefaciendo, dissolvendo, ut Galen. l. 5. & 6. simpl. ut dryopteris, pinorum eruca, argentum vivum sublimatum, quemadmodum bestiarum virulentarum, uti scorpium, & phalangium, & Viperæ ictus, & rabidi canis morsus; hæc siquidem virus cum saliva ejaculantur, quod paulatim intus penetrans principes corporis partes attingit, vires & ejus essentiam dissolvit. Quæ verò antea enumeravi intrò assumpta, quando à calore nostro nativo domari, evincique nequeunt, tunc omnium facultatum essentiam corrumpunt; cum urendo, tum stupefaciendo, At contrario modo antipharmaca, seu amuleta

44 DE VIPERÆ NATURA

leta deleteriis ipsis prorsus adversan-
 tur, eoque totius essentiæ discordia
 immutant, obtundunt, evincunt &
 expellunt, atque adeò, ut ne mini-
 mum quidem deinceps nos possit of-
 fendere. Ex his alia veneno, aut de-
 leterio quoque medicamento hausto
 adversantur, ut semen citri, ruta, & a-
 lia virulentorum ictibus medentur;
 caro Viperina, alysson rabidi canis
 moribus, & pimpinella. Huc spe-
 ctant, quæ morbos pestilentes & ve-
 nenatos abigunt, & cavendis eis con-
 veniunt, ut Theriaca. Quæ singulis
 corporis partibus ex propria faculta-
 te profunt, brevi dicentur. Salvia
 cerebrum, & pariter gentiana juvant:
 Ipsa totius naturæ similitudine fami-
 liaria sunt buglossum & pimpinella
 cordi; Epati cicorium; Eupatorium,
 scolopendrium, & mirobalani spleni;
 Saxifragia, betonica, renibus, atque
 alia aliis grata, & familiaria sunt, ut
 ruta intestinis. Sic contra nonnulla
 offendunt in ternas partes. Lepus
 marinus

marinus solus pulmones totius essen-
 tiæ dissensione & repugnantia affi-
 cit. Cantharis vesicam tantum & re-
 nes exulcerat, & alia hujusmodi pro-
 prietate noxia sunt. Porrò admira-
 tione dignum est singulari, hæc & si-
 milia tantopero noxia, & malum
 quod inferre possunt, avertere, & à
 vitæ periculo evindicare, Uti dixi-
 mus, venena omnia virulentorum a-
 nimalium ictibus propriis & alienis
 imposita retrahat; ut jam patet ex si-
 milibus fieri attractionem. Cor-
 pus verò cantharidum sectis capite,
 & aliis, & pedibus assumptum non af-
 ficit, & tota cantharis assumpta e-
 tiam dicitur, & si Papiæ aliter conti-
 gisse quidam meminit. lib. 1. & 2. de
 muliebribus morbis Hipocrat. de
 buprestidibus & cantharidibus exhi-
 bendis, & meminit lib. 4. de ratione
 victus. Caro Viperina pariter ve-
 nenum evincit & expellit, si assuma-
 tur, longioremque vitam reddit. Ca-
 put verò contritum ictui appositum
 retra-

retrahit venenum sibi simile, & fel pariter Viperinum. Galenus verò II. simpl. de cantharidibus ait, quidem alas, pedes, & capita cantharidum esse alexiteria, his qui corpora ipsorum bibissent, alii contra; at nos totos indimus, ait Galenus, selegit autem minus noxias, quæ infrumentis inveniuntur lutea transversa in alis cingula obtinent, ibi etiam docet quomodo præparentur; Venenum omne foris impositum, quod à Virulentis ejaculatur, jam impactum evacuare testatur Galenus lib. 5. de simpl. medicamentis, & educere, ut magnes ferrum, testatur lib. I. de nat. facultatibus, Sed Mitridates, Attalus, & alii in condemnatis morti, tradito veneno vires antidotorum experti sunt, lib. I. de antidotis Galeno Auctore, at nos majori pietate amuleta Viperis porrecta experiri voluimus: quod si ipsis contrarium, & lethale extiterit, nobis perutile antipharmacum erit.